

1538 cum Canali sermones, Peloponnesi urbes Cassinum præfectum jussit invadere; Abencobarbum prædabundum totum Aegæum percurrere; insulas vastare, occupare, diripere; ingentem mortaliū numerū miserrima captivitate affectum in pecudum morem catenis, & compedibus vinclos pertrabi Byzantium imperavit? Id vero agunt, id moliuntur, ut vos a Principum Christianorum societate abstractos facilius adoriri possint, atque tutius vincere, cum nihil aequē ac fœdus reformident, quo uno frangi illorum potentiam, comminutum iri vires perborescant. Singulos aggredi separatim minime verentur, cum terra, marique præpotentes sint; ex conjunctis Christianorum Principum viribus certum sibi exitium impendere arbitrantur. Inde toties repetita pacis mentio; hinc ad legatum abortiones; hinc Janesinus Venetas missus, ut vos pacis nomine alliciant, a ceterisque avulsoſ facilius labefactare, & opprime-re queant. Has artes summo cum Republicæ damno majores nostri experti fuere, dum teſta dolis, ac simulata concordie spe-cie a Mehemete decepti, Eubœam amiserere. Ne idem nobis contingat, summo studio providendum est; ne fucata ista, atque adumbrata pax transversos agat, & a certis incolumentis, ac libertatis præſidijs abducat. Nam, fœdere omisso, de duobus alterum pertimescendum videtur, aut eo gravius bellum, quod arma, ac ferrum barbara gens in nos tantum ſæva manu stringet, ſolique impares ad illorum impetus excipien-dos, & ſustinendos erimus; aut ſumma cum ignominia, ac detrimento pax: miserum illud, atque acerbum; hoc vero indecorum, ac vix ingenuis viris ferendum. At, prob Deus im-mortalis! quæ pax? quo non bello tetricor, ac miserabilior? ex qua fructus quolibet bello acerbiores laturi ſimus: pax, in-quam, precaria, quæ non sacramenti religione, non aequo vi-rium pondere nitatur; ſed tota ex barbaræ gentis voluntate pendeat, quæ intestino in cunctos christiana religione imbutos homines odio exardescit; illorum ſtrages, exitium, ac funus parat, & meditatur; quæ victoria ex uno ad alterum inva-dendum iter ſibi munit, cunctorum imperii, atque opum inex-plebili ſiti corripitur. An ea pax dici potest, cui belli affiduuſ metus comes eſt? an qua ſensim veluti tabe publicæ opes ex-bauriuntur? dum classem triremium numero, ac robore instru-

Etiam